COMMEMORATIONES

SEU SUFFRAGIA SANCTORUM

Recitanda in Nostra Ecclesia Ss. Paulini et Donati

DE CRUCE TEMPORE PASCHALI

Ad Laudes

Ant. Crucifixus surrexit a mortuis, et redemit nos, Alleluja, Alleluja.

℣. Dicite in nationibus, Alleluja.

℟. Quia Dominus regnavit a ligno, Alleluja.

OREMUS

Deus, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, ut inimici a nobis expelleres potestatem: concede nobis famulis tuis; ut resurrectionis gratiam consequamur. Per eumdem Dominum.

Ad Vesperas

Ant. Crucem Sanctam subiit, qui infernum confregit, accinctus est potentia, surrexit die tertia, Alleluja.

℣. Dicite in nationibus, Alleluja.

℟. Quia Dominus regnavit a ligno, Alleluja.

Oratio *ut supra.*

DE CRUCE IN FERIALI TANTUM OFFICIO

Ad Vesperas, et Laudes

Ant. Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

OREMUS

Perpetua nos quæsumus, Domine, pace custodi: quos per lignum Sanctæ Crucis redimere dignatus es.

DE SANCTA MARIA

Ad Vesperas, et Laudes

Ant. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fæmineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam Sanctam commemorationem.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere: et gloriosa Beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia.

AB OCTAVA EPIPHANIÆ USQUE AD PURIFICATIONEM

℣. Post partum, Virgo, inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

OREMUS

Deus, qui salutis æternæ Beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

DE SANCTO JOSEPHO

Ad Vesperas

Ant. Ecce fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

℣. Gloria, et divitiæ in domo ejus.

℟. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Ad Laudes

Ant. Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta ut putabatur filius Joseph.

℣. Os justi meditabitur sapientiam.

℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

OREMUS

Deus, qui ineffabili providentia Beatum Joseph Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsum eligere dignatus es, præsta quæsumus, ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis.

DE APOSTOLIS

Ad Vesperas

Ant. Petrus Apostolus, et Paulus Doctor gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam, Domine.

℣. Constitues eos principes super omnem terram.

℟. Memores erunt nominis tui, Domine.

Ad Laudes

Ant. Gloriosi principes terræ quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum.

℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

OREMUS

Deus cujus dextera Beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit: et coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem, de profundo pelagi liberavit: exaudi nos propitius, et concede; ut amborum meritis æternitatis gloriam consequamur.

DE SANCTIS PAULINO ET DONATO

Ad Vesperas

Ant. Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti: et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Ad Laudes

Ant. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt; nolite timere, multis passeribus meliores estis vos.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

OREMUS

Beatorum Martyrum pariterque Pontificum Paulini, et Donati nos quæsu-

mus, Domine, patrocinia tueantur, et eorum commendet oratio veneranda.

DE SANCTIS, QUI IN NOSTRA ECCLESIA REQUIESCUNT

Ad Vesperas

Ant. Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in æternum.

℣. Exultent justi in conspectu Dei.

℟. Et delectentur in lætitia.

Ad Laudes

Ant. ex 1. Vesp. Istorum est enim regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine agni.

℣. Lætamini in Domino, et exultate justi.

℟. Et Gloriamini omnes recti corde.

OREMUS

Propitiare quæsumus Domine, nobis famulis tuis per omnium Sanctorum tuorum, qui in præsenti requiescunt Ecclesia, merita gloriosa, ut eorum pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis.

QUANDO OCCURRIT OFFICIUM SEMIDUPLEX PP. MM. VEL QUANDO DE EIS PLURES FIUNT COMMEMORATIONES, TUNC ANT. RESP. ET VERS. DICUNTUR ORDINE INFRASCRIPTO

Ad Laudes

Ant. Vestri capilli.
℣. Exultabunt. ℟. Lætabuntur.
Vel. Ant. Istorum.
℣. Lætamini. ℟. Et gloriamini.
Vel. Ant. Gaudent.
℣. Exultent. ℟. Et delectentur.
Vel. Ant. Corpora Sanctorum.
℣. Justi autem. ℟. Et apud Dominum.

Ad Vesperas

Ant. Gaudent.
℣. Exultabunt. ℟. Lætabuntur.
Vel. Ant. Corpora Sanctorum.
℣. Exultent. ℟. Et delectentur.
Vel. Ant. Istorum.
℣. Lætamini. ℟. Et gloriamini.
Vel. Ant. Vestri capilli.
℣. Justi autem. ℟. Et apud Dominum.

DE S. MARTINO

Ad Vesperas

Ant. O Beatum Pontificem, qui totis visceribus diligebat Christum Regem, et non formidabat imperii principatum: o Sanctissima anima, quam, etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Laudes

Ant. O Beatum virum, cujus anima paradisum possidet: unde exultant Angeli, lætantur Archangeli, chorus Sanctorum proclamat, turba virginum invitat, mane nobiscum in æternum.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

OREMUS

Deus qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus; concede propitius; ut intercessione Beati Martini confessoris tui, atque Pontificis contra omnia adversa muniamur.

PRO PACE

Ad Vesperas, et Laudes

Ant. Da pacem, Domine, in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster.

℣. Fiat pax in virtute tua.
℟. Et abundantia in turribus tuis.

OREMUS

Deus, a quo Sancta desideria recta consilia, et justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Dominum.

LUCÆ TYPIS JUSTI 1873.